Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 629
Quelle:
Copyright:

Et ita:

Diues inutilis et miserabilis et maledictus
Pauper amabilis et uenerabilis et benedictus &c.

quo tamen artificio *Bernardum Morlanensem* non adsequitur, ut ad *Cod.* CXXXV. dictum. Ultima sunt:

Ut non priueris hoc lumine corde preceris
Hoc tene dictamen et mecum dixeris Amen.

Itaque Exemplum praesens a mox citato variat, ei tamen praeferendum, quod saltem Autoris conditionem manifestam reddit.

III. *fol.* 45. *Tractatus de arte moriendi*, cum Prologo, qui incipit: *Cum autem de presentis exilii miseria mortis transitus* &c. Tractatus vero ipse: *Cum omnium terribilium terribilissima sit mors* &c. Vide plura, si lubet, *Cod.* DXCII.

IV. *fol.* 72. p. 2. ut in praefixo *Codici* Elencho legitur: *Oracio beati Jheronimi presbiteri quam scripsit rustico monacho.* Initium: *Peruenit ad me caritatis tue deuocio karissime frater vt aliquam oracionem singularem et specialiter tibi bonam et vtilem indicarem* &c. Fraus ei gemina, qua *Hieronymo* olim *Psalterium* subposuere. Fingit pius Deceptor, *Hieronymum* inter Anachoretas versantem hanc precandi Formam accepisse. *Sunt*, ut ejus verbis utar, *in ea quinquies quinque clausule quinque versibus dauiticis quinquies dominica oratione quinque versiculis quos suffragia uocamus totidem collectis distincte.* Quae quantum ab *Hieronymo* abludant, non est, quod moneam.

V. *fol.* 80. p. 2. *Incipit delectatio deuote anime in deum in seipsum et in proximum.* Brevis norma ordinis diurni pro hominibus Deo sacris, quae incipit: *Ad diligentiam adhibendam vt anima tua in deo firmetur* &c.

VI. *fol.* 89. *Libellus de Consolationibus.* Praeit Tabula *Capitum* XV. quorum primum inscribitur: *Super Carentia mundane felicitatis et prosperitatis*, et incipit: *Quoniam secundum apostolum Quecunque scripta sunt ad nostram consolationem scripta sunt* &c. Ita reliqua *Capita* res singulas, quibus aegre caremus, ita pertractant, ut pius Compilator paene nunquam suis verbis utatur, sed Patrum Catenam nectat, adpositis singulorum nominibus.

VII. *fol.* 104. *Incipiunt X. omelie eusebij emisseni episcopi. Omelia prima.* Initium: *Exhortatur nos sermo diuinus ut curramus dum lucem habemus* &c. Extant hae *Homiliae* in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 656. ubi *ad Monachos* inscribuntur, ex recognitione *Andr. Schotti*, et nomine *Eusebii Gallicani*, cum *Emeseni* nihil ejusmodi superfit. Verum far-